Wing B2091

CONCIO
AD
SYNODUM
A B
EPISCOPIS & CLERO

Provinciæ *Cantuarienſis* celebratam;

HABITA,

In Ædc *WESTMONASTERIENSI*

XII. KAL. DEC. A. D. CIↃIↃCXXCIX.

Per GUILIELMUM BEVEREGIUM,
Archidiaconum Colcestrienſem.

Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω.
Syn. Nic. Can. VI.

Juſſu Epiſcoporum.

LONDINI,
Excudebat *S. Roycroft*, ſumptibus *Roberti Clavell* ad Inſigne *Pavonis* in Cœmeterio *Paulino*, 1689.

252
Card.
5404

CONCIO AD SYNODUM.

1 COR. XI. 16.

In primâ Epistolâ ad *Corinthios* Capite undecimo, Commate decimo sexto, sic scriptum est,

Si quis autem contentiosus esse videtur, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei.

QUOT, quantisque Controversiis Ecclesia *Anglicana* hisce diebus exercitatur, quamque potentibus pariter ac infestis cingitur inimicis, omnes videmus quidem & molestè ferimus; sed non miramur, utpote pro comperto habentes, hoc constans ferè ac perpetuum fuisse Ecclesiæ Christi ubicunque constitutæ fatum. Si omnes enim Ecclesiasticas ab ipsis Apostolicis usque

ad hæc nostra tempora deductas evolvamus Historias, nullam inveniemus ætatem, quâ Ecclesia Catholica vel ab Hæreticis, vel à Schismaticis, vel ab utrisque simul non infestata fuit. Nimirum in Domini agro Zizania juxta Triticum ab inimico sata sunt, & usque ad messem unà crescent. Verum enimvero, is est Domini nostri in agrum suum amor, ea Dei Optimi Maximi erga Ecclesiam suam benevolentia, ut Triticum à Zizaniis, Evangelicam Doctrinam ab Hæresi, aut à Schismate disciplinam penitus suffocari, nunquam' permiserit. Ac proinde nihil est quod vereamur, ut Ecclesia nostra tot Adversariorum impetus sustineat, cum ipsa à Deo Omnipotenti sustentetur, tanquam purum sanumque Ecclesiæ suæ universæ membrum.

At verò quo purior, quo sanior, Deoque propterea gratior est nostra Ecclesia, eo plures, & atrociores inter homines Adversarios habet, qui ultra citraque ei se totos opponunt, & si destruere non possunt, saltem perturbare conantur. Hinc enim Pontificij; illinc Sectarij & dictis eam & factis incessunt, carpunt, exagitant; omnes experiuntur machinas, quibus nova sua Dogmata Ritusque nobis obtrudant, nostramque adeo Ecclesiam vel diruant prorsus, vel corrumpant.

At

At nos interea Dei ſolius præſidio freti, ad eum confugimus, in nomine unigeniti ipſius Filij, eum quotidie comprecantes, ut Eccleſiam à ſe fundatam, ipſe defendere, & propugnare non dedignetur. Ille autem noſtris, licet tanto favore indigniſſimorum precibus uſque adeo annuit, ut ab unâ ſaltem Adverſariorum parte, à Pontificiis ſcilicet, miris modis in præſenti nos liberavit, ſpemque nobis fecerit iſtos nullam poſthac moleſtiam Eccleſiæ noſtræ allaturos eſſe.

Sed altera pars etiam nunc reſtat, eorum ſcilicet qui in Fide & Doctrinâ nobis conſentire videntur, ſed vel Ignorantiâ, vel Errore, vel Superſtitioſâ fortaſſe quâdam ſcrupuloſitate Conſcientiæ ſeducti, neſcio quæ Crimina in Eccleſiaſticam noſtram diſciplinam Rituſque confingunt, ac propterea communionem nobiſcum in ſacris colere detrectant. Et mirum eſt, quanta, ex parvâ hâc, ut videtur, origine oriantur mala? Hinc enim altaria contra altaria paſſim erecta; hinc partium ſtudia; hinc mutua inter fratres odia; hinc publicus Dei cultus neglectui habitus; hinc ipſa Sacramenta, unum in angulos detruſum, alterum perrarò celebratum; hinc, horreſco referens, impia in Deum verba temerè profuſa, & in omnem Re-

ligionem, quaſi diſcordiis potiùs quam paci materiam daret; hinc denique populares illæ tempeſtates, quæ Eccleſiæ pariter atque Reipublicæ minitantur, atque ideo utramque perpetuò ſolicitam tenent.

Verum ut his etiam malis, quibus Eccleſia noſtra tamdiu laboravit, remedium aliquod tandem aliquando adhibeatur, ſereniſſimo noſtro Regi, non ſine divino haud dubiè afflatu, viſum eſt, Epiſcopos hujus Regni totumque Clerum convocare, ut Conſilium ineant, quibus demum modis pernicioſa hæc diſſidia ita componantur, ut Eccleſia noſtra nihil de Puritate, nihil de Gloriâ, nihil de Autoritate, nihil de Jure ſuo amittat, & tamen illi qui à nobis diſſentiunt, ad ſacram noſtram Communionem reducantur, vel ſaltem omnibus, non dico juſtis, quas nunquam habuerunt, cauſis, ſed ſpecioſis omnibus quos ſeparationi ſuæ hucuſque prætexuerunt coloribus, deſtituti in æternum maneant.

Hoc fateor magnum eſſe & perdifficile opus: ſed æque pium eſt & neceſſarium: ac proinde dignum, quod univerſus Eccleſiæ *Anglicanæ* Clerus ſummis viribus enitatur. Et quanticunque ſit laboris ac operæ, licet non minoris quam contra torrentem niti; non tamen deſperandum eſt,

eſt, ſi modo Deus adſit, & cœptis aſpiret. Et nos quidem ſingularem illius Providentiam in tuendâ Eccleſiâ noſtrâ toties experti ſumus, ut nequicquam dubitare poſſimus, quin ille ſtudiis in eam impenſis præſens & propitius fuerit, dummodo ad Divinam illius voluntatem in ſacrâ Scripturâ nobis revelatam omnia dirigantur: Quam ſupremam eſſe regulam, quâ omnes Eccleſiaſticæ Controverſiæ judicandæ ſunt, inter nos & noſtros à diſſenſione Fratres, ſatis convenit.

Quod ſi Sacra hæc Oracula conſulamus; omnia quidem in iis inveniemus, quæ ad æternam ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria: Sed non ita multa de externâ Eccleſiæ Politiâ, nedum de ſingulis Ritibus ad eam neceſſariò requiſitis. Hos ſcilicet Deus ſingulari cuique Eccleſiæ conſtituendos reliquit, ſecundum generales iſtas Regulas, quas ipſe ad eum finem in ſacris Scripturis tradidit: Quales ſunt, omnia decenter, & ordine fiant: Omnia ad ædificationem fiant; & aliæ ejuſmodi, in quas Ritus ab Eccleſiâ noſtrâ uſitati ad amuſſim quadrare videntur.

Quid autem ſi inter duas Eccleſias Provinciales, vel inter diverſa ejuſdem Provinciæ membra, contentio de Ritu quovis oriatur? An nullum

lum præceptum habemus, neque exemplum in ſacris Scripturis, quo ſedari poteſt? Habemus quidem exemplum, idque tale, ut etiam præcepti vim habeat, utpote à Sancto Dei Spiritu præſcriptum, & ſacris Literis eo nomine commiſſum, ut ab omnibus obſervetur. Quod ne gratis à me dictùm videatur, illud ex Apoſtoli verbis modo lectis, notàſſe, breviterque expoſuiſſe non abs re erit: præſertim, cum nihil majori uſui eſſe poſſit, nec magis neceſſarium obſervatu, in omnibus ejuſmodi Controverſiis, quales à ſacrâ hac Synodo diſcutiendæ ſunt.

Inprimis igitur obſervare licet, inter eos qui Eccleſiam *Corinthiacam* recens fundatam ſolicitabant, non defuiſſe, qui viros quidem capitibus velatis ſive tectis, mulieres verò retectis, ſive non velatis, in publicis verſari cœtibus oportere contendebant. Contra hunc Ritum à nonnullis tunc temporis introduci cœptum, Apoſtolus in hoc capite, à primo uſque ad hunc decimum ſextum verſiculum, fusè diſputat, & contrarium ubique obſervandum eſſe demonſtrat. Primo argumentatur è teſtimonio Divino, non quidem directè, ſed per conſequentiam, ex eo ſcilicet, quod è ſacris Scripturis conſtet, virum eſſe imaginem & gloriam Dei, & caput mulieris, mulierem vero gloriam eſſe viri, ex eo, & propter eum

eum conditam. Hoc argumentum latè tractat, ad verſiculum uſque duodecimum, & deinde alterum ſumit à jure naturali, & communi hominum conſenſu, & conſuetudine. *Apud vos ipſos*, inquit, *judicate, num decorum ſit mulierem non velatam Deum orare? Annon ipſa quidem natura vos doceat? &c.*

Ultimo autem in loco, clariſſimum ſuum profert argumentum, his verbis conceptum, *Si quis autem contentioſus eſſe videtur, nos talem non habemus conſuetudinem, neque Eccleſiæ Dei.*

Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Si quis autem adeò contentioſus eſt, ut hiſce non victus rationibus adhuc contenderit, quod viro quidem tecto, mulieri autem nudo capite Deum publicè orare liceat, unum adhuc ſupereſt argumentum, quo & ipſe & omnes Chriſtiani neceſſe habent ſe convictos fateri, hoc ſcilicet, quod nos talem non habemus conſuetudinem, neque Eccleſiæ Dei: Sed apus nos & apud omnes alias Dei Eccleſias contraria prorſus conſuetudo obtinuit, quâ viri capita ſua retegant, ſua vero tegant mulieres, quandocunque ſacra Deo peragunt.

Non me latet nonnullos hæc Apoſtoli verba paulò aliter interpretatos eſſe: Perinde videlicet quaſi affirmaret, nec ſe, nec Eccleſias Dei talem habere conſuetudinem, ut de rebus hujuſmodi conten-

contendant. Præterquam autem quod ſecundum hanc expoſitionem Apoſtolus ſibi contradiceret, quandoquidem ipſe hoc ipſo in loco cum *Corinthiis* de hâc re acriter contendit: Si demus verba ita exponi poſſe, ad rem noſtram æque intereſt. Siquidem Apoſtolum de Ritu Eccleſiaſtico cum *Corinthiacâ* diſputantem ad aliarum Dei Eccleſiarum conſuetudinem appellare, ex hoc etiam verborum ſenſu conſtat, non minùs quam ex altero, qui verus eſt, & genuinus, iſque adeò perſpicuus, certuſque ut ampliori explicatione non indigeat. Veruntamen hoc unum adnotare liceat, verba illa, οὐδὲ αἱ Ἐκκλησίαι τοῦ Θεοῦ, in nonnullis Græcis Manuſcriptis legi in numero ſingulari οὐδὲ ἡ Ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ. Sic etiam legit Syrus interpres, vertit enim ܘܠܐ ܠܥܕܬܗ ܕܐܠܗܐ *neque Eccleſia Dei.* Quæ ipſa etiam ſunt verba vulgatæ Verſionis Latinæ, eademque habentur apud Divum *Cyprianum*, alioſque Latinos Patres. Sed ſenſus eodem recidit. Nam ἡ Ἐκκλησία in ſingulari, Univerſalem denotat, ex omnibus Eccleſiis conſtantem: Et αἱ Ἐκκλησίαι in plurali, ut indefinitè poſitæ, omnes ſignificant Eccleſias, è quibus Univerſalis conſtat. Utroque itaque modo ad Univerſalem Eccleſiam hic provocatur, & argumentum ab illius conſuetudine ducitur. De quo propterea Sanctus *Theodoretus*

doretus ait, ἱκανὸς οὗτος ὁ λόγος ἐντρέψαι καὶ τοὺς λίαν ἐριστικοὺς, *sufficit hoc argumentum ad refellendos etiam maxime contentiosos.* Ostendit enim Apostolus non sibi soli hæc ità videri, sed omnibus Dei Ecclesiis: adeo ut qui contra fecerit, πάσῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ, *Universæ Ecclesiæ* adversetur, ut *Theophylactus*, & ante eum Divus *Chrysostomus* in locum Annotavit.

Hæc Apostoli verba breviter sic explicata, certam tutamque nobis viam præmonstrant, quâ in omnibus hujusmodi causis judicandis procedamus. Quod si quis nimirum Ritus ab Ecclesiâ aliquâ Provinciali usitatus in controversiam vocatur, diligenter inquirendum est, quid aliæ omnes Ecclesiæ de isto senserint, & utrum ab illis etiam usitatus fuerit. Quod ut clarius elucescat, observandum est, quod per omnia usque à Christi Passione, secula, plurimæ Ecclesiæ Provinciales in universo ferè terrarum Orbe constitutæ fuerunt, quæ omnes collectæ unam illam conficiunt Ecclesiam, quam propterea Catholicam sive Universalem vulgò nuncupamus. Quæ scilicet, ex universis Ecclesiis, non illis tantummodo quæ uno eodemque temporis articulo existunt, sed quæ unquam extiterunt, computanda est.

Hæ porrò omnes omnium seculorum Eccle-

ſiæ in neceſſariis Fidei Articulis ſemper conſenſerunt. Quantum autem ad Ritus attinet, iſti partim ſingularibus Eccleſiis proprii fuerunt ac peculiares, partim verò omnibus ommunes. Ritus qui uni vel alteri Eccleſiæ proprii ſunt, ab eâdem pro libitu abrogari poſſunt, vel retineri, & ab aliis etiam vel repudiari poſſunt, vel admitti. Adiaphororum enim naturam habent, atq; ideò vim nullam obtinent, niſi quam ab iſta recipiunt Eccleſiâ, cujus Autoritate ſanciti ſunt. Qui verò Eccleſiæ Univerſali, hoc eſt, omnibus per omnes ætates Eccleſiis, ſive quod tantidem eſt, maximæ illarum parti ſemper communes fuêre Ritus, iidem à ſingulis etiamnum Eccleſiis obſervari debent. Neque enim in ſingularis cujuſpiam Eccleſiæ poteſtate ſitum eſt, Ritus ab Univerſali vel obſervatos rejicere, vel rejectos obſervare. Siqua horum alterutrum fecerit, Schiſmatica eſt, iſtâ ſaltem in re à Chriſti Corpore ſe disjungens. Ut quævis autem Eccleſia rectè conſtituatur, & ita ut ſanum Catholicæ Membrum fiat, neceſſe eſt ut ad eam in omnibus, quoad fieri poteſt, ſe conformet, & Diſciplinam Rituſque illius, æque ac Doctrinam Religioſè complectatur. Quod ne temerè à me dictum videatur, hiſce Argumentis confirmatum dabo.

Primum nobis ſuppeditant hæc ipſa Apoſtoli verba.

verba. Enimvero *Corinthiaca* Provincialis erat Eccleſia, in quam nonnulli novum quendam Ritum invehere conati ſunt. De quâ re Apoſtolus certior factus, contra iſtum Ritum hoc loco diſſerit, probatque eum nequaquam ab iſtâ Eccleſiâ admitti poſſe. Et ultimum præcipuumque ſuùm Argumentum ducit è conſuetudine Eccleſiæ Univerſalis, ut ante obſervatum eſt: Ex eo ſcilicet, quod aliæ omnes Eccleſiæ non talem, ſed contrariam prorſus conſuetudinem haberent. *Quod ſi quis*, inquit, *contentioſus eſſe videtur, nos talem non habemus conſuetudinem, neque Eccleſiæ Dei.* Quibus verbis in hunc modum argumentatur:

Quod contrarium eſt conſuetudini ab omnibus aliis Eccleſiis receptæ, non debet admitti à Corinthiacâ.

Atqui hoc contrarium eſt conſuetudini ab aliis omnibus Eccleſiis receptæ.

Ergo.

Quod ſi Eccleſia *Corinthiaca* ad alias omnes Eccleſias ſe accommodare, & Ritus earum ſervare non teneretur, hoc Apoſtoli argumentum nullius ponderis aut momenti eſſet. Ex hâç enim Hypotheſi, Ritus iſte admitti potuiſſet ab

Eccleſiâ iſtâ, licet contrarius eſſet conſuetudini ab aliis omnibus receptæ. Ideoque major propoſitio falſa eſſet. At vero Apoſtolum legitimè argumentatum fuiſſe extra dubium eſt. In hiſce enim conſcribendis ipſo Dei Spiritu, quæ ſumma eſt ratio, concitatus erat: Adeo ut neque in ipſo argumento, neque in argumentandi modo, vel fallere poſſet vel falli. Ac proinde ſumma etiam ratio poſtulat, ut unaquæque talis, qualis erat *Corinthiaca*, Provincialis ſcilicet Eccleſia, omnium aliarum ſive Eccleſiæ Univerſalis Ritus accuratè obſervet. Siqua enim eos non obſervat, hoc ipſo infallibili argumento, graviſſimi Erroris, Schiſmatiſque convincitur. Neque poſſibile eſt, ut quovis prætextu ſe defendat. Cum ipſe enim Deus hoc argumentum Apoſtolo dictaverit, neceſſariò etiam exinde ſequitur, ipſius Dei voluntatem eſſe, ut ſingulæ Eccleſiæ Provinciales univerſali conformes ſint: Atque etiam ut hunc argumentandi modum ab ipſo edoctum, ad determinandas hujuſmodi Controverſias, ſemper adhibeamus.

Deinde hoc idem conſtat ex ipſâ Eccleſiæ naturâ ac notione. Eccleſia enim generatim ſic dicta, *Una eſt per magna hominum ubicunque terrarum Chriſti Fidem profitentium Societas aut Congregatio; cujus, ſingulæ Provinciales Eccleſiæ totidem*

tidem ſunt partes ſive membra. In omnibus autem hujuſmodi Societatibus, pars omnis toti ſuo congrua, & pars minor majori conſentanea eſſe debet. Hoc ratio ſuadet, hoc jus naturale edicit, hoc communis hominum conſenſus neceſſarium eſſe ſtatuit. Adeo ut ſi quid à majori, multo magis quod à maximâ cujuſvis Societatis parte conſtituitur, eodem pars reliqua conſtringatur, illudque obſervare neceſſe habeat, ſi membrum manere & privilegiis iſtius Societatis gaudere velit. Quod cum in omnibus cujuſcunque generis Societatibus valet, multo magis in Eccleſiâ valere debet, quam omnium ordinatiſſimam eſſe decet.

Secundum hæc, magni hujuſce Corporis, quæ Eccleſia Univerſa dicitur, caput eſt ipſe Chriſtus, qui Spiritum ſuum in omnia illius membra æqualiter diffundit. Hanc Eccleſiæ ideam ſive notionem Apoſtolus in Epiſtolâ ad *Epheſios*, alibique paſſim explicat. Cùm ipſe itaque Chriſti Spiritus in omnia Corporis ipſius membra diffundatur, eaque ducat & gubernet, quicquid ab omnibus hiſce membris peragitur, ipſi Sancto Spiritui jure acceptum referatur. Quamvis enim ſingula membra aliquid fortaſſe humanum pati poſſint, quod tamen omnia conjunctim ſemperque fecerunt, aliunde proficiſci vix potuit,

quam

quam à Communi, ut ita loquar, omnium Principio, à Divino ſcilicet Spiritu, quo omnia communiter acta ſunt; ac proinde non poteſt non neceſſarium eſſe à ſingulis adhuc membris, quoad ejus fieri poteſt, obſervatu.

Proximum in hâc cauſâ Argumentum petimus, ex Apoſtolicâ inſtitutione omnium iſtiuſmodi Rituum, qui ab Univerſali Eccleſiâ obſervati ſunt. Quicquid enim Apoſtoli in primâ Eccleſiarum inſtitutione, illis obſervandum tradiderunt, ad rectam earum Conſtitutionem neceſſarium eſſe, extra dubium eſt. Alioquin enim aliquid ſuperfluum, ab iis inſtitutum fuiſſet. Quod in Apoſtolos cadere non potuit, utpote qui nihil in Eccleſiâ inſtituerint, niſi quod ſibi divinitùs commiſſum habuerunt. Quod cùm omnibus Chriſtianis perſuaſum ſit, de nihilo inter eos magis convenit, quam Apoſtolicam Eccleſiarum inſtitutionem, normam eſſe & regulam ſecundùm quam, ſingulæ hiſce etiam diebus Eccleſiæ conſtituendæ ſunt. Adeo ut nulla cujuſvis Eccleſiæ Conſtitutio recta dicatur, niſi quæ in eam quadrat. Ex hoc autem conceſſo ſequitur, nullam Eccleſiam ſingularem rectè conſtitutam eſſe, niſi omnes Eccleſiæ Univerſalis Ritus ab eadem obſerventur. Quicunque enim ab eâ per omnes ætates obſervati

ſunt,

ſunt, aliter quam ab Apoſtolis inſtitui non poterant. Quonam enim pacto poſſibile cuipiam videatur, ut omnes Eccleſiæ, longè latéque diſperſæ, in eoſdem ubique Ritus conſpirarent, niſi eos unà cum Fide ab Apoſtolis traditos accepiſſent?

Conſtat ſanè Apoſtolos omnes ferè Regiones peragrâſſe,& Eccleſias in illis conſtituiſſe ſingulis: Conſtat eos omnes eodem Spiritu ductos fuiſſe: Conſtat denique eos Uniformitati in omnibus Eccleſiis ſtuduiſſe. Ac propterea mirum nemini videatur, ſi illi eoſdem ubique Ritus inſtituerint: mirum potius eſſet, ſi aliter feciſſent. Quod ſi generales hujuſmodi Ritus ab ipſis Apoſtolis non inſtituti fuerint, unde in omnes ubique Eccleſias, tanto locorum intervallo à ſe invicem disjunctas, manare poterant? à Generalibus Conciliis? id enim unum dicendum reſtat. Vel enim ab Apoſtolis, vel à Generalibus Conciliis inſtituti ſint, neceſſe eſt; ut Divus *Auguſtinus* in Epiſtolâ ad *Januarium* obſervat, dicens, *Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe obſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel à plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſiâ ſaluberrima autoritas, commendata atque ſtatuta retineri.* At vero nos hoc in loco de iſtiuſmodi ſolis diſputamus Ritibus, qui ab univerſâ

versâ Ecclesiâ etiam prius observati sunt, quam Concilia Generalia celebrari cœperint, quique propterea ab iis institui non poterant. Restat igitur, ut Apostolicæ tantum Institutioni attribuantur, secundùm vulgatam illam Doctissimi ejusdem Patris Regulam, dicentis, *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Autoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Cum ad rectam igitur Ecclesiæ singularis Constitutionem, necessarium sit, ut Ritus ab Apostolis instituti ab eâdem retineantur. Cúmque omnes Ecclesiæ Universalis Ritus ab ipsis Apostolis instituti sint: Nemini dubium esse potest, quin eorum observatio necessariò requiratur, ad Ecclesiam quamlibet singularem rectè constituendam.

Et hæc quidem non mea solius est opinio, sed communis est semperque fuit, omnium, præsertim veterum, Christianorum sententia. Hoc ex eo patet, quod siqua olim controversia de Ritu quovis Ecclesiastico, à singulari aliquâ Ecclesiâ recepto, exorta est, in Ecclesiæ Universalis praxin, & constantem eâ de re consuetudinem inquirere, & sententiam exinde ferre, semper solenne fuit. Exempla passim occurrunt. Unum in præsenti seligere non pigebit. Primitiva, ut nóstis, Ecclesia gravi istâ de tempore quo Pascha

celebranda

celebranda eſſet, contentione diu ſolicitata fuit. *Aſiana* enim Eccleſia eam quartâ decimâ Lunæ in quamcunque hebdomadis feriam incideret, cum *Judæis* peragendam eſſe contendebat. At aliæ omnes Eccleſiæ non niſi Dominicæ Reſurrectionis die, jejunia ſolvere, & Feſtum illud celebrare ſolebant. Viguit per quamplurimos annos hæc controverſia, donec tandem ad Synodum Univerſalem *Nicææ* habitam delata eſt. Ubi probatum eſt, omnes alias, præter *Aſianam*, Eccleſias, Feſtum illud die Dominico celebrare conſuetas fuiſſe, ὃ τότε ἔπαθον, *& eam ob cauſam*, omnes in Synodo Congregati Patres æquum rectumque judicabant, ut *Aſiana* etiam Eccleſia eodem illud die celebraret: Ut Auguſtiſſimus ille Imperator, *Conſtantinus*, à quo Synodus convocata eſt, in Epiſtolâ ad Eccleſias diſertè affirmavit. Unde conſtat Patres *Nicænos* eodem contra *Aſianam* pugnâſſe argumento, quo Apoſtolus contra Eccleſiam *Corinthiacam* uſus eſt, ex aliarum ſcilicet omnium Eccleſiarum conſuetudine ducto. Eodem etiam uſus eſt Sanctus *Cyprianus* contra *Novatianum*, & contra *Donatiſtas* Divus *Auguſtinus*: *Epiphanius* autem contra Hæreticos pariter ac Schiſmaticos univerſos, eos omnes Hæreſeos condemnans, qui vel in Doctrinâ vel in Diſciplinâ ab Eccleſiâ Univerſali diſcedunt.

Sed infinitus eſſem, ſi omnia Concilia, Patreſque vel indigitarem, quibus hoc Argumentum uſitatum eſt; Et è quibus propterea Propoſitio noſtra legitimè inferri poteſt. Hoc enim argumentum ab Eccleſiâ Catholicâ ſemper uſitatum, pro confeſſo ſumit, æquum ſaltem & bonum eſſe, ut omnes ipſius Ritus ubique retineantur.

Hæc fuſiùs idcirco proſecuti ſumus, quoniam apertiſſimam nobis viam ſternant, ad reprimendos, cum occaſio poſtulat, omnes Eccleſiæ noſtræ Adverſarios; ipſos etiam Pontificios, qui ementito Catholicorum nomine, inſolenter ſeſe efferre ſolent. Romana etenim Eccleſia, in cujus Fidem Moreſque omnes Pontificii jurati ſunt, tot nova Dogmata adinvenit, totque novos Ritus Eccleſiæ Univerſali; vel rejectos, vel incognitos nuper inſtituit, hodieque imperat, ut non niſi corruptiſſimæ, nedum Catholicæ nomen mereatur. Nihil enim cum Catholicâ, nihil cum omnibus aliis Eccleſiis commune habet, ſed omnia potius diverſa & contraria, præter ea, in quibus cum *Anglicanâ* conſentit.

His autem, ut hunc ad locum non pertinentibus, dimiſſis, videamus potius ut ea quæ hucuſque diſſeruimus, negotio quod ſub manibus

bus habemus, rectè conficiendo conducunt.

Enimvero è præmiſſis conſtat, quantum expediat, ut Mores Rituſque ab Eccleſiâ Univerſâ hactenus obſervati, obſerventur etiam nunc à ſingulis. Non ſecus atque Politicis etiam Corporibus uſu venit. Exempli gratiâ, hoc ipſo in Regno, plurima dantur Municipia, aliaque inferiora Sodalitia, quæ ſingula ſibi ſuiſque membris Leges conſcribendi poteſtatem habent, eâ tamen cautione ſemper adhibitâ, ut nihil ab iis conſtituatur aut fiat, *Quod contrarium eſt Statutis Regni, aut Communi*, ut vocant, *Legi, ſeu veteri cuivis Conſuetudini, quæ ante hominum memoriam introducta & per totum Regnum recepta fuit, atque ita vim Legis obtinuit.* Ad eundem ferè modum, Eccleſia Univerſa, quod eſt Chriſti Regnum, ſua habet ſtatuta, ſacris Literis conſcripta; & ſuam etiam quaſi Communem habet Legem, è certis quibuſdam Ritibus conſtantem. Qui licet in dictis Statutis diſertè & totidem verbis non præcipiantur, tamen generali, ut ita loquar, eorum rationi & propoſito adeo ſunt accommodati, & tanto uſui in propagandâ & ſtabiliendâ eâ quæ in illis inſtituitur Religione, ut ſemper & ubique per univerſum Orbem Chriſtianum obſervati fuerint, ac propterea ab omnibus adhuc Eccleſiis obſervandi, quæ ſoli-

dam cum universâ communionem retinere cupiunt. Si qua enim quemvis ex istis everterit, aut quidpiam iis contrarium constituerit, talem exinde consuetudinem non habebit, qualem omnes aliæ Dei Ecclesiæ habent. Quod quidem Apostolus *Corinthiis* criminis loco objectat. Idque jure merito. Quandoquidem Communes Ecclesiæ Universæ Ritus rescindere, minus saltem Crimen haberi nequit, quam Communem Regni Legem violare. Quod quantum sit, omnes fatentur, & nonnulli suo damno experti sunt.

Sed vitio fortasse mihi vertetur, quod Rituum horum causam hucusque egerim, & tamen nondum indicavi, quinam illi sint, nec unde dignoscantur. Verum enimvero hoc non est meum, qui nihil hucusque in animo habui, nisi ostendere, quam æquum rectumque sit, ut nostra, verbi gratiâ, vel alia quævis Ecclesia Provincialis, omnes istiusmodi Ritus religiosè observet, quos ab omnibus aliis Dei Ecclesiis observatos fuisse constat: Sed quinam singulares Ritus ad hanc Classem referri debeant, & unde id constet, in medio vobis judicandum relinquo. Nonnulli fortassis eorum coram vobis in discrimen venient: De quibus propterea ego nec minimam hoc in

loco

loco mentionem facere ausus sum, ne graviora vestra de iis judicia anticipare videar. Dantur autem generalia quædam Ecclesiæ Universæ instituta, quæ, ni fallor, in disputationem non cadent, & tamen magni videntur momenti in judicandis illis quæ ad Sacram hanc Synodum referentur causis: Quæ propterea penitus præterire non possum, ne officio mihi imposito, deesse videar.

Primo igitur omnes Dei Ecclesiæ hanc consuetudinem habent, semperque habuerunt, ut in quacunque Provinciâ sitæ sunt, Episcopi & Pastores istius Provinciæ, quoties occasio postulat, & opportunitatem habere possunt, Synodos sive sacros Conventus agant, in quibus deliberent, & consultent, de rebus ad Ecclesiam in istâ Provinciâ constitutam pertinentibus. Quæ propterea, Synodi, Convocationes, sive Concilia Provincialia nuncupantur. Hoc satis constat ex magnis illis, multisque Conciliorum voluminibus, in quibus videre licet, multa hujusmodi Concilia per omnes ætates in omnibus per universum Orbem Christianum Provinciis habita. Et longe plura haud dubie celebrata sunt, quæ nec ibi nec ullibi hodie extant. Quod hic notare visum est, ut cuivis pateat, hoc non novum esse quod nos

Synodicè

Synodicè modo convocemur. Si quidem nihil omnibus Dei Eccleſiis magis unquam in uſu fuit, quam provincialia hujuſmodi Concilia celebrare.

Præterea omnes ubique Eccleſiæ Synodicè ſic Congregatæ, Canones componere ſemper conſuetæ ſunt, ſive Leges Eccleſiaſticas, quaſcunque ipſæ ad meliorem publici Dei Cultus, Verbi, Sacramentorum, & totius Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Adminiſtrationem, in ſuâ quæque Provinciâ, expedire judicarunt. Hoc è dictis etiam Conciliorum Actis abunde conſtat: in quibus ſcilicet plurimos habemus Canones ab unaquaque Eccleſiâ Provinciali editos, ut ſibi proprios & peculiares. Quamvis enim omnes Dei Eccleſiæ Communes univerſæ Ritus ſcrupuloſè retinuerint, ſemper tamen neceſſe habuerunt, alios Canonicè ſuperaddere, ad illius in quo quæque ſita eſt, Regni ſive Provinciæ formam Moreſque accommodatos. Alias vix fieri potuit, ut quævis Eccleſia Provincialis vel Nationalis diu conſiſteret aut Pace uteretur.

Hinc etiam communis per omnes Dei Eccleſias conſuetudo obtinuit, in omnibus hujuſmodi Canonibus Legibuſve conſtituendis, reſpectum habere, non tantum ad privati cujuſque Membri ſalutem; verumetiam ad totius Eccleſiæ

siæ pacem & ἀταξίαν. Ad quam quidem multa sunt necessaria, quæ non ita sunt ad Æternam cujusque Felicitatem comparandam. Quâ de causâ plerique omnes quos Concilia Provincialia, vel etiam Generalia hactenus ediderunt Canones, de istiusmodi solis rebus instituuntur, quæ ad externam Ecclesiæ Disciplinam & Pacem faciunt. Et hinc etiam est, quod nulla unquam extitit Ecclesia, quæ non plurima in suis Legibus ascripsit, non quidem contra, sed præter ea quæ in sacris Scripturis continentur. Quod adeo clarum est & perspicuum, ut quo demum pactó cuivis unquam in mentem venerit, de eo dubitare, satis mirari non possim.

Ad hæc, omnibus Dei Ecclesiis in more positum est, Canones hujusmodi à se conditos, pœnis Ecclesiasticis sancire, ne quid contra eos impune committatur. Hoc ex omnium etiam Conciliorum Canonibus patet, in quos utique nemo oculos conjicere potest, quin primo statim intuitu videat suspensionem, vel depositionem Clericis, Laicis Anathema, sive Excommunicationem denunciatam, si contra fecerint. Neque enim Ecclesia istos sacro Ministerio, nec hos Communione suâ dignos unquam existimavit, qui Legibus in ipsorum æque ac in sui commodum conscriptis parere nolunt.

Quin

Quinetiam è prædicta Conciliorum collectione conſtat, omnes Dei Eccleſias, Leges, quas ſibi neceſſarias putarunt, ita componere ac temperare ſolitas eſſe, ut toti quidem Communitati commodo & ædificationi eſſent, &, *quantum fieri poteſt* nemini offendiculo. Dixi, *quantum fieri poteſt*, quoniam ea eſt horum ignorantia, ut nihil fere intelligant: ea aliorum perverſitas, ut omnia ad malum ſenſum detorqueant. Et vix, vel ne vix quidem fieri poteſt, ut Lex quævis Civilis, nedum Eccleſiaſtica, ita componatur, ut iſtis omnino probetur. De quibus propterea nihil eſt quod Eccleſia ſolicita ſit, niſi forſitan, ut vi Legum ad Diſciplinam & Mores melius erudiantur. Non deſunt autem qui Deum piè ſanctéque colere & ad ejus Præcepta vitam dirigere conantur, & tamen adeo infirmi & ſcrupuloſi ſunt animi, ut nihil penè fieri poteſt, quod illis non ſit ſcandalo quo offendantur; idq; ut par eſt credere, non ex obſtinatâ voluntate, aut pertinaci partium ſtudio; ſed ex pia quadam, licet nullo fundamento nixâ, formidine, ne Deo diſpliceat. Et horum quidem in omni, Eccleſiaſticarum præſertim, Legum ſanctione, magna habenda eſt ratio, ne novi ſcilicet animis eorum injiciantur ſcrupuli, ſed evellantur potius antehac injecti.

injecti. Idque etiam ſive illi qui iniquâ hâc Conſcientiæ valetudine laborant, unà cum Eccleſiâ, ſive ſeparatim ab eâ, Sacris dant operam. De utriſque enim cavendum eſt: de illis, ut in Eccleſiæ Communione perſiſtant, de iſtis, ut in eam redeant. Et hic quidem labor, hoc opus eſt omnium curis ſtudiiſque dignum. Quod nihilo tamen minus ita ſuſcipiendum eſt, ut nihil horum gratiâ omittatur, quod toti Eccleſiæ commodum erit, neque admittatur, quod ei detrimentum afferet. Neque enim ratio neque perpetua Eccleſiæ conſuetudo patitur, ut pars toti præferatur.

His adjungi poteſt, quod nihil omnibus Dei Eccleſiis magis unquam uſitatum fuit, quam Leges à ſe conditas, cùm tempus & neceſſitas id flagitat, immutare; antiquas abrogare, aliaſque earum loco, & fortè diverſas, ſubſtituere. Hoc neminem in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ verſatum, latere poteſt. Nullam enim per univerſum Orbem invenire eſt Eccleſiam, quæ omnes eaſdem hodie Leges habet, quas olim habuit. Nimirum omnes iſtiuſmodi, de quibus nos loquimur, Eccleſiarum Provincialium Leges, pro hic & nunc, (ſi in ipſâ Urbe barbarè loqui liceat) pro ratione

ſcilicet temporis ac loci conſtituuntur. Quæ ſi mutantur, mutentur & Leges neceſſe eſt, ut præſentibus cujuſque Seculi & loci Moribus accommodentur.

At verò hoc nec citò, nec niſi gravi neceſſitate cogente, ab ullâ unquam Eccleſiâ fieri ſolet: Nec quidem debet. Omnis enim Legum Eccleſiaſticarum mutatio non neceſſaria, levitatis notam Eccleſiæ, quaſi ſibi non conſtanti, inurit; Autoritati, quam Chriſtus ei commiſit, plus nimio derogat; Religionem apud Profanos in quæſtionem vocat, annon ex hominum voluntate pendeat? Multos inter ſe committit: Plures aliarum adhuc Novarum rerum expectatione ſuſpenſos detinet: Plurimos animo ancipites & incertos facit, quid ſequantur, aut declinent: Motus ingentes excitat, & publicam Pacem ſæpiſſimè turbat. Neque etiam quiſpiam diſpoſitu & proviſu rerum adeo peritus eſt, ut quavis arte prævidere poſſit, quot & quanta incommoda ex Legum etiam incommodarum immutatione exoritura ſint. Ac propterea antiquas novis mutare legibus, nunquam non periculorum eſt, niſi talis id cogat neceſſitas, quæ aliter ſuperari nequit, quæque aperta adeò & omnibus ante oculos poſita eſt, ut nemo mutationem

tationem videat, quin ſummam ejus rationem & neceſſitatem ſimul videre poſſit.

Quod ſi talis detur neceſſitas, omnes illæ tempeſtates avertentur, quas ex non neceſſariâ Legum mutatione Orituras diximus. Nihil de famâ ac honore Eccleſiæ debito detrahetur. Nam ipſa ſibi & ſua ipſi Autoritas conſtabit. Omniaque in eâ magis placata, tranquilla, fixa & quieta erunt, quàm ſi eodem quo antea ſtatu manſiſſent. Hoc omnes Dei Eccleſiæ, ſuis quæque experimentis, edoctæ ſunt: ac proinde Leges à ſe conſtitutas abdicare, novaſque, quotieſcunque iis ſibi opus eſſet, componere nunquam dubitarunt.

Utrùm autem Eccleſia noſtra tali neceſſitate nunc conſtringatur, ad quicquam immutandum quod ſuis Legibus ſancitum habet, prudentis eſt, non meum definire. Hoc tantum ego dicere auſim, quod, ſi neceſſarium eſt, Oves errantes in Chriſti gregem reducere: Si Fratrum infirmorum Animis ſcrupulos eximere: Si odia mitigare, mollire iras, & omnes de Religione, quoad ejus fieri poteſt, diſſenſiones compeſcere: ſi Diſciplinam Eccleſiaſticam ad priſtinum vigorem revocare; ſi optimam in Terris Eccleſiam contra hominum dœmonumque impetus defendere, ac

ſtabilire: Si hæc, inquam, neceſſaria cuivis videntur, videbitur eidem utique neceſſarium tales mutationes admittere, quales ad iſtos fines conducere, ſibi perſuaſum habebit: dummodo ſaltem in iſtis tantummodo rebus fiant, quas Eccleſia noſtra ſuâ ſolius Autoritate conſtituit, non in illis, quas Eccleſia Univerſalis Communi ſuâ Lege ſanxit. Has enim ſub quovis omnino prætextu, vel extremis digitis attingere, omnibus Dei Eccleſiis, atque inter eas noſtræ, ſemper Religio fuit. Siquidem illud abrogare, aut rejicere, quod ſemper & ubique obſervatum fuit, non eſt Eccleſiaſticum tantum Ritum, ſed ipſam etiam Eccleſiam mutare, & diverſam efficere ab omnibus aliis Dei Eccleſiis. Quod quidem de noſtrâ, nunquam adhuc dici potuit, nec, ut ſpero, unquam poterit.

Nimirum ea fuit Reformatorum noſtrorum (beatam quorum memoriam laudibus & gratiis nunquam ſatis venerari poſſumus) ea inquam fuit eorum Cura & Diligentia, ea Pietas & Religio, ea Divinitus inſpirata prudentia, ut perfectam cum Eccleſiâ Catholicâ Communionem retinere, æque ac à *Romanâ* diſcedere, neceſſarium ducentes, abdicatis Superſtitioſis iſtis quas hæc nuper adinvenerat Ceremoniis,

remoniis, quicquid ab omnibus Dei Ecclesiis Servatum fuerat, ipsi etiam Religiosè conservarint: atque ita in nostrâ, illustrissimum Ecclesiæ Catholicæ exemplum & imaginem instituerunt. Et hinc est quod Ecclesia *Anglicana* Romanæ quidem, semper invidiæ fuit: sed omnibus Reformatis Ecclesiis tanto honori, ut nullus dubitem, quin illæ pium ejus exemplum imitari velint, si in ipsarum potestate situm esset. Adeò ut non illis, sed temporum & locorum necessitatibus imputari debeat, quod non sint in omnibus nostræ similes.

Cùm DEUS itaq; talem Nobis Ecclesiam custodiendam commiserit, cumq; vicem ejus in hoc Regno gerens opportunitatem modò præbuerit, omnia exequendi quæ ad hujus Ecclesiæ Commodum & Pacem expedire possunt, huc oculi, huc animi, huc studia nostra & curæ omnes referantur. Nihil intentatum linquatur, quo Ecclesia *Anglicana*, omnium *Anglorum* Ecclesia fiat: nihil quo Fides, quo Cultus, quo Disciplina ejus majori, si fieri potest, admirationi longe latéque habeatur: nihil quo ipsa permaneat Ecclesia cujus ductu incolæ hujus Regni æternam per CHRISTUM salutem consequantur, usque ad Secundum illius Adventum.

ventum. Ut omnis posteritas DEO gratias habeat, quod Rex pientissimus Sanctam hanc Synodum convocârit, multaque ad eam ita præparanda delegârit, ut Ecclesia plus exinde emolumenti reportet: Si modo ipsi etiam Convocationi ita visum fuerit, ad cujus Arbitrium omnia referenda sunt.

Dum hæc vero meditamur, nobis in mentem veniat consuetudinis ab omnibus Dei Ecclesiis observatæ, in Synodis suis tranquillè & sedatè celebrandis: Eamque nos etiam in hâc sequamur. Nulla præjudicata Opinio, nulla præsumpta suspicio, nulla litium cupido huc afferatur, nihil quod tam Sacra Consilia permisceat, aut conturbet. Sed omnia peragantur eâ Concordiâ ac Unanimitate, quæ Christianos, quæ Clericos, quæ ipsum Clerum *Anglicanum* decet; quæ Clerum, inquam, *Anglicanum* Universum decet, inter Consultandum de suæ, de Ecclesiæ *Anglicanæ* Pace confirmandâ. Quicquid fit, nemine contradicente fiat. Ut in hoc etiam nos post Apostolum verè dicamus, *Si quis Contentiosus esse videtur, nos talem non habemus consuetudinem, neque Ecclesiæ Dei.*

Quæ-

Quæcunque autem Studia in Eccleſiam noſtram conferimus, nihil proficient, niſi bonis Operibus ornentur. Quapropter liceat mihi, Reverendi admodum in Chriſto Patres; Fratreſque dilectiſſimi, liceat mihi vos omnes in Chriſti Nomine obſecrare, vitam ita inſtituere pergatis, ut talis, tam Sanctæ Eccleſiæ Patres Filioſque decet: Ita luceat Lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui eſt in Cœlis. Videant ac mirentur omnes Præclaram Eccleſiæ *Anglicanæ* Sanctitatem, in eo quod Viros omnium Sanctiſſimos producit. Hoc modo non Homines tantum, ſed ipſum etiam Deum Nobis propitium habebimus: Qui ſolus Eccleſiam à ſe primo extructam, & denuo reſtitutam ab omnibus omnium Adverſariorum technis defendere, atque in omne ævum conſervare poteſt.

Exurgat itaque Deus, & diſſipentur Inimici ejus. Faxit, ut Eccleſia noſtra, vel potius ſua, in hoc Regno ſita, Magis, Magiſque indies augeatur, floreatque: Faxit, nec ipſæ Inferorum portæ Adverſus eam unquam prævaleant. Faxit denique ut Sanctiſſimus Juus Spiritus Sacram hanc Synodum in ipſius Nomine Convocatam Regat,

Regat, atque omnem in Veritatem ducat, ut quicquid ab eâ geritur, in DEI gloriam, inque Ecclesiæ Universæ, ac speciatim Anglicanæ *commodum & stabilimen exeat, Per Dominum Nostrum JESUM CHRISTUM, cui cum PATRE & SPIRITU SANCTO, Gloria sit & Honor nunc & in æternum.* Amen.

ADVERTISEMENT.

ROMAN FORGERIES in the Councils during the first Four Centuries: Together with an *Appendix* concerning the Forgeries and Errors in the Annals of *Baronius*. By *Thomas Comber*, Prebend of *York*. Sold by *Robert Clavell* at the *Peacock* at the West-end of S. *Pauls*.

FINIS.